

B. VALVERDII

GANDIAE VILLENTIS

SAC. THEOL. DOC. CÆSAREÆ,

ET CATHOL. MAIESTATI

A S A C R I S.

Ad quæstiones siue proposita VVenzeslai a
VVertzouiz, equitis Bohemi, de Ieiu-
nio Quadrag. & Verbo Dei scri-
pto, & non scripto,

R E S P O N S I O.

AD SERENISS. BOHEMIÆ

Principem, Albertum Austriacum,

S. R. E. Cardinalem.

Cum approbatione S. Inquisitionis, & Reverendiss. Do. Episc. Patauini, aliorumq. insignium Theologorum.

Patauii, Laurentius Pasquatus excudebat,

M. D. L X X X I

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21

B. VALVERDII

GANDIAE VILLENTATIS

SAC. THEOL. DOC. CÆSAREÆ,

ET CATHOL. MAIESTATI

A S A C R I S.

Ad quæstiones siue proposita VVenzeslai à
VVertzouiz, equitis Bohemi, de Ieiu-
nio Quadrag. & Verbo Dei scri-
pto, & non scripto,

R E S P O N S I O :

AD SERENISS. BOHEMIÆ

Principem, Albertum Austriacum,

S. R. E. Cardinalem.

Cum approbatione S. Inquisitionis, & Reverendiss. Bo. Episc. Pata-
nini, aliorumq. insignium Theologorum.

Patauii, Laurentius Pasquatus excudebat,

M. D. L X X X I

ALBERTI AVSTRIACI
CIVITATIS PRINCIPIS
BOHEMIAE DUCIS
ET ALB. AVSTRIACI
S. R. E. CARDINALI,
Bartholomaei Valuerdii Gandia,
S. D.

S E R E N I S S I M O
BOHEMIAE PRINCIPI
ALBERTO AVSTRIACO
S. R. E. CARDINALI,

Bartholomaeus Valuerdius Gandia,

S. D.

SONG



EMOR eius
humanitatis ,
qua me ad ma-
trem tuam, fœ-
minarum omni-
um sanctissimā,
et prudentissi-
mam discendentem, humanissimè com-
plexus, et affatus es, ALBERTE
Princeps Sereniss. decreueram in re qua
piam alicuius momenti, affectionem, re-
uerentiamq; meam in Celsitudinem Tu-
am declarare. Sed cū multarum uigilia

A 2

rum ad Sacram Scripturam commenta-
tiones, in Bohemia confecissem: easq; ante
biennum per C. V. Augerium Busbek,
misissim ad Plantinum, quarum partem
C. Tua consecravimus, ille temporū diffi-
cilitate impeditus, editionem maturare
non potuit. Illa igitur dum expectamus,
cum libellum de Igne Purgatorio
absoluissim , & ne solus in publi-
cum prodiret , ex S . Patribus Gno-
mologiam: addidi non dissimilis argumē-
ti, de Divinis Traditionibus, & Ieiunio
Quadragesima, cum Vuenceslao Ver-
zouiz equite Bohemo, disputationē à me
ante biennū habitā, tibiq. Princeps, qui se-
rio theologaris, summorum Theologorum
sententias hac occasione dedicau. quem
laborem meum minime uereor, quin pro
tua humanitate, ac probitate, tuendum
suscipias. Te enim eo non indigere satis
scio, qui tua prudentia, auctoritate, &
Sacrarum litterarum peritia, facile tuos
Germanos, atque Bohemos, et monere.

et persuadere poteris, ne Religionis auita
salutares leges abrogari, & confirmata
ad eō Catholica Ecclesia fundamenta con-
ueni, patientur. Sed quid dixi tuos Ger-
manos, cū meos dicere iure potuissim?
Meos enim existimo, propterea quod eos
omnes summo semper amore sum prose-
cutus, posteaquam in Bohemiam me con-
tuli, ubi quadriennium fermè commora-
tus, benigne, humaniter, liberaliterq; à
sanctissimis illis Episcopis, & principib.
atque proceribus, cunctisq; nobilibus fui
semper acceptus, et in primis ab ipso e-
tiam Imperatore Christianiss. cui quide-
mihil est profecto, quin debitum laudis te-
stimonium præbeamus. & si enim ab eo,
terrarum quidem spatio simus longissi-
mè disiuncti: illius tamè ad me huc quo-
que perueniunt beneficia. que etiam si nul-
la existerent, meum tamè est, ut de
RUDOLPHO Imperatore Christianissimo id dicam, quod aut meus in illum
amor, aut meum perpetuum de ipsis uir-

tute, et invicta animi magnitudine iudi-
cium me cogit dicere. Ne igitur aut sum
mi Dei beneficium non agnoscisse, qui ta-
lem nobis proposuit Imperatore, aut Im-
peratoris ipsius merita, et laudes silentio
obtexisse, et propterea in utrumq. ingra-
ti esse uideamur: dico preclara in eo mul-
ta, et uerè regia inesse, nulla tamen ma-
gis prædicanda, et in cœlum ferenda,
quam qua ad Dei Omnipotentis in illo
cultum, et ad honorem Religionis, stu-
diumq; pietatis amplificandum spectent.
Nam quòd fidei, integritatis, atque iusti-
tiae cultor eximus, quòd artium optima-
rum summus amator est, quòd eos qui in-
timis suis deliberationibus, et cubiculo af-
fiduè adsunt, Clarissimos viros dico Ad-
amū à Diatristein, et Vvolgāgū Rūfū
(quomodo n. tales, ac tantos viros ta-
citus praterire potero?) probos, pios, seue
ros, religiosos, amantes principis sui, non
fumos, et gratiam venditantes, sed inte-
gros, et incorruptos habet: hac, inquam,

laudabunt alii, qui ista, ut sunt quidem
maxima, magis extollunt, et admiran-
tur; ego uero maiora illa, diuina, immor-
alia, quòd honoris, quòd laudis, quòd e-
ius gloria præcipue cupidus est, que sit ad
Deum ipsum, et ad Christiana Reipub-
commodum conuersa. cuius rei ipse in
sermonibus, quotidianisq; colloquijs, singu-
lare quoddam semper studium, et insi-
gnem cupiditatem præsefert, tum autem
uultu, aspectuq; denunciat, dolore ani-
mi se contabescere, donec ea omnia, quae
nobis, ex ample et ueteri Christiani no-
minis imperio, pauca iam reliqua fecit, fi-
dei nostræ, ac Religionis hostis ille perpe-
tius, ex illius manibus eripiat. quod ut
sperem adducor, ex eis, quas conspicor in
eo esse, uirtutibus. Etenim eo est animo
præditus, ut se à nemine suorum pro-
uorū, atque maiorum, qui plures multa
et magna pro Christiana Rep. egerunt,
in hac preclara laude passurus sit supera-
ri. Nam si uerum, sine cuiusquam inui-

dia, fateri licet, nullum fuit usquā genus
hominū, cui plus debuerit, debeatq; Chri-
stiana Religio, quām invicta maiorū tuo-
rum, nobilissimq; uirtuti. Cum enim re-
liqui ferē omnes et Reges, & populi Chri-
stiani, ignauo quodam animi languore
contabuissent: illi soli sunt iuuenti, qui ex
celso, & invicto animo, omnē barbarorū
impetu sustinuerint, atque represserint,
imo sugarint, sugarint, oppresserint. Tu
igitur Cardinalis ampliss. nunc etiam o-
stendas oportet, lumen animi, ingeniq;
tui; nūc inquam, quid istam purpuram de-
ceat, quid tantum præfulem, his maiori-
bus ortum, Musarum alumnum, et an-
tistitem, Albertum denique Cardina-
lem, & Austriacum. nempe, ut tua
virtute, tuisq; actionibus Catholica Ec-
clesia decus, & ornamentum, tibi uero
immortalitatem parias, & aliis quos di-
gnos iudicaris, eandem etiam tribuas.
Pauci (ait ille) quos equus amauit,
Iuppiter, aut ardens euexit ad aethera

uir-

uirius. at Austriacos omnes, & equus
amauit Iuppiter, & ardens euexit ad a-
ethera uirtus. Et quamquam ego sanè in-
telligo, me nec auctoritate, nec usurverum,
ita praestare ceteris, ut idoneus tibi horta-
tor esse possum, ad laudem, atque uirtu-
tem, neque hac oratio tantum super
vacanea est, quam etiam tibi non necef-
saria, effecit tamen uirtus, & humanitas
tua, ut auderem plurimum. Huius igit-
tur piissimi Imperatoris, ut dicebam, beni-
gnitas, ceterorumq; principum cōritas,
et liberalitas, ita me Germanis deuinxit:
ut cum eorum memoriam nunquam de-
posuerim: merito, ut dicebā, meos appella-
re & possum, & uelim. Tu igitur Prin-
ceps Sereniss. huius nunc libelli, quam-
quam exigui, tuendi munus suscipe; cete-
ri uero interea apud me erunt, dum
hunc eorum prænuntium, & germanum
gratum fuisse intellexero. tunc
enim ipsi è carcere, & latebris pro-
dibunt. Vale Princeps Sereniss. &

b

me tibi deditiss. Ut matris, patru-
que tui Sacellatum, tua autoritate
fome, atque defende.

Dat. Patauii. Idib. Martii.

M. D. L X X X I . 20

BARTHOLOMEI VALUERDII
S. Theologie Doc. Cæsarea, & Cathol. Maie
stati à sacris, ad quæstiones sive proposita
Venceslai à Vvertzouiz equitis Bohem.
mi, de Ieiunio Quadrag. & Verbo
Dei scripto, & non scripto.

RESPONSI O.

AD SERENISS. BOHEMIÆ
Principem, Albertum Austria-
cum, S. R. E. Cardinalem.



VANQUAM dissimilitu-
do opinionum in Christi fide &
religione, Illustris, & generose Do-
mine, disfidium semp gignat &
pariat, fereq. illa ad dedecus, Christianæ fidei, &
ad detrimētum pacis, charitatisq; contèdat (i sola enī
charitate, & pace regnum Dei consistit) eiusmodiq;
contentionib. ac disceptationib., quæ inimicæ pacis
sunt, exasperatq. animos, nullo modo placant, peni-
tus supercedendum existimé: quoniam tamen scri-
bis eo te fine sententiam nostram exquirere, ut con-
sēplatione talia dicentis, ad ueram animi in Ma-

testat̄ Dei acquiescentiam deducaris (h̄ec enim
eua oratio est) inter maximas meas occupationes
paucula h̄ac mihi respondēda ad tuam schedam
esse putauī, egregiam imprimis voluntatem tuam
agnoscens, quod communis concordia vinculum, ue-
ramq; et solam cunctorum exequationem Christum
Iesum esse constitutas. Fidei enim mysterium
humilitas tota est, et perfecta charitas. est uero
charitas alterius uelle, ac studere illud idem quod si-
bi, neq; sua quemq; causa seorsum laborare, sed cu-
rare, ut eodem aequā labore fratri consulatur, quod
aliter fieri quām in Christo non potest: Qui uero
iniucem se sic fouent, et amplectuntur, quiq; ue-
Christianos homines decet, inter se hoc pacto dili-
gunt, ut in Deo omnes unum, idemq; sentiant: hi
Dei ministri ueri sunt, et unanimes cuncti, unoq;
ore glorificant Deum. Ab uno enim spiritu, unaq;
et eadem omnes voluntate ad prædicandam Dei
gloriam gratiamq; adducuntur, atq; , ut dico: hoc
in solo Christo fas est fieri. Non enim iniuria Christus
ad patrem opem ab eo discipulis suis, et præse-
dium deprecans: In hoc agnoscet, inquit, quod tu
me misisti si fuerint unum, At nemo quidem po-
test, nisi à Deo missus, uel potius ipse Deus hanc
conspirantem in cordibus hominum mutuam inte-

ipso voluntatem curare, in unumq; sic conflare, ue-
nemo aliis alii in ea omnina antecellere uelit sed
omnes studeant esse pares, uel etiam qui præstantio-
res uirtute, prudentiaq; sunt, hi inferiorē locum et
conditionem appetant, quod hoc modo optimè fa-
cturus sumus, si quemadmodum Christus submis-
infelixq; se ad eorum gradum, et conditionem,
quos erat seruaturus: sic nos inter nos ad eorum ca-
ptum deflectamus, qui forte uel nobis fuerint in fir-
miores, ut cum illis primò nos constituamus pares,
quò deinde illos nobiscum ad altiora opera uirtutis.
et fidei subleuemus, in quo est animorum consen-
sus et conciliatio, quām maximè Deus à nobis po-
stulat, et que per Iesum Christum nobis est de-
monstrata, et tradita. Hanc, quoniam et querere
te, et appetere ex literis tuis intelligo, et modera-
re id, seu potius demisse facere, ego item faciendum
putauī, ut facilem me tuis postulationibus et hu-
manum exhiberem. Dabo ergo operā, quātum in-
me erit, ut plane intelligas, Ecclesiam matrē san-
cte omnia et sapiēter instruisse, et hereticos ho-
scē qui ita superbē, et peculanter, spretis ipsius Ec-
clesiae decretis, legibusq; rupris ad suum arbitrium
et libidinē omnia reuocarunt, non solum accusan-
dos, uerum etiam detestandos, et cum horrore quo-

dam eorum contagionis, à cunctis qui in fide Christi consistunt, omnino refugiēdos esse. Verum tamē cum his qui modeste agunt & temperatē, intelligē di tantum causa, non superbē & insolenter insultā di, licitum esse uidetur, & quaerere de his rebus & disputare non incommōdum. E quidē illorum scelus & arrogantiā, qui Ecclesiae sanctae iugum nimium asperae seruitutis, ut ipsi prædicāt, cuperent excutere, non hi solum qui iam excusserunt, nulla unquam satis digna pœna ulcisci posse uideatur. Non enim ratione, sed libidine, nec ut spiritum ab onere seruitutis subleuarent, sed ut cupiditatib. obsequerentur, ad id faciendum sunt adducti. Scire cupimus, (ait Gregorius Nazianz.) quae nam hac tanta sit circa Ecclesia nouandi libido, ut cuius uolenti ac transeunti (ut Scripturae uerbo utar gregem præclarè ductum, atque institutum discerpere ac furtiis & clandestinis incursionibus, uel potius prædatoriis, & absurdis doctrinis, populari ac diripere liceat. Nam si quid haberent quod in nobis circa fidem improbare, ac reprehendere possent, qui nunc impetum in nos fecerunt: nec sic quidem tamē nobis non admonitus huiusmodi facinus aggredi parerat. Etenim hanc ab iis prius iniri rationē conueniebat, ut nos uerbis flecterent, aut doceri se-

ac permoueri sustinerent, (si modo ipsi aliquo quoque loco & numero sumus, ut Dei timore præediti, & pro fidei doctrina graues labores perpesi ac de Ecclesia benē promeriti) ac tum (si tum etiam) res nouas moliri, sed tamen hac ratione contumeliosis atque importunis hominibus aliqua fortasse parata fuisset excusatio. Posteaquam autem fidēs nostra & scriptis consignata, & uerbis expressa, & hic, & remotioribus locis, tum in periculis, tum in tranquillitate promulgata est, qui fit tādem ut isti res huiusmodi aggrediantur nostri contrā silentio acquiescant. Verum nos qui Ecclesiae decreta facile obedimus, semperq; illi parendum, non sē per flagitandam eorum quae ab ea decernuntur rationem existimamus, possumus tamen causas & rationes petere inter nos, & dare, non ut nouum ipsi consilium aliquod capiamus, sed uel ut repertæ ratione haereticis respondeamus, qui & imperanz rem Ecclesiam & nos parentes ludibrio & irrisu habere non desinunt, uel si quid fortasse ratio nobis monstrauerit esse corrigendum, ad summi Pontificis iudicium, & ad Ecclesie autoritatem omnia referamus. Utrum enim fuit aequius, & Christiana mansuetudini conuenientius his de rebus quas nunc in controvēsiam renocare cuperunt, modestia

expostulare, et conqueri, causamq; ad caput et ad Principes Ecclesiæ deferre, an ipso met per tezmeritatem, et arrogantiam, nouum sibi capere consilium, seq; à communi, more fidelium abscindere? id quod ne ille quidem unquam tegere, aut disimulare potuit, cùm diceret: Res hæc neque propter Deum caepta est, neque propter Deum finietur. ut non salutis communis studio, neque intelligentia uerioris boni, neque uero ob eam causam quod homini bus suaderet, quæ putaret esse sanctiora: sed iracundia, sed contentione, sed odio nostri ordinis, cupiditateq; detrahendi, ad tantas in fide Catholica seditiones excitandas fuisse compulsum. Aliqua fortasse in moribus labes facta est, cui debuit alia subueniri ratione, alio prouideri consilio: omnia quidem certè agi ita oportuit, ut Christianae tamen unitatis uinculum inter nos ne discinderetur. Nam quod dicunt non se concedere, ut Ecclesiæ caput Romanus Pontifex sit, omnes semper concesserunt, qui cunque ante in Christiano nomine fuere, exceptis paucis quibusdam, qui eo ipso nomine apud maiores nostros condemnati sunt. At illi stolidi excor desq. fuerunt, omnesq; erroris opinione sunt lapsi. Vos ergo soli in omnibus seculis, in omnibus hominibus uestra prædicatione estis sapientes? Quid er

gō

go ait Salomon? Vidisti hominem qui sibi ipse sapiens uidetur, spes est de stulto, quam de eo, longe maior, certe hanc uobis sapientiam quam assumitis ipsi, nemo facile concedet. Si tibi igitur uidetur hac lege inter nos ut queramus ac disceptemus, ut quidquid inciderit controuersiæ quod forte à maiorum institutis discrepauerit, nostrum semper consilium, illorum sapientia indicemus inferius, neq; uelas nobis ipsi leges constituamus: innuamus tantum quid nostræ sententiaz et opinionis sit, ut in doctrina filii Dei tantum acquiescamus, (ita enim in orationis tuae extremo positum est) quo possis id quod maximè cupis consequi et doctrinas communica re, et uelut ductu, auspiciisq; meis (ut tu quidem scribis) ad ueram animi acquiescentiam deduci possis, ubi morem gesi, et hæc ut scriberem adductus sum. Ac uellem equidem tantæ mihi eruditionis, tam magni in literis, doctrinisq; Theologicis usus conscientius esse, ut istud tam iure, meritoq; cupere deberes, quam te opinor ueré id atque ex animo optare, facerem id non modo tua causa, cuius maximè et de berem et uellem, sed et mea quoq; cùm sperarem rationibus, hortatug. meo, relictis omnib. quecumque uel deuinciunt, uel blandiuntur, et incisis uel abruptis etiam uinculis, si quibus forte alligatus te-

b

meris tantum te, & tam obsequenter Ecclesiæ Catholicae germanum, & Catholicum filium omnes agnoscere, quantum esse te, & dici & praedicationi optare nemini, & mihi ex paucis nostris disputationib. & congresib. exploratum habeo, & de te ingemi uis, amor studiorum, naturaeq; tuae bonitas mihi promittunt. Est autem ille uerus, & germanus Catholicus (ut ar uerbis Vincentii Loirinensis) qui ueritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religionis, qui Catholicæ fidei nil anteponit, non hominis cuiuspam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam, sed haec cuncta despiciens, & in fide fixus, & stabilis permanens: quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum, credendumq; decernit quidquid uero ab aliquo deinceps uno praeter omnes, uel contraria omnes sanctos nouum & inaudicuum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere. Ac primum illud quod de Traditionib. maxime uerges nos nulla alia egere doctrina praeter eam, quae scriptis Euangelicis prodita est, nullum te aliud agnoscere Dei uerbum, quam quod scriptum sit, quippe Christum docuisse omnia ad salutem necessaria:

mullo nos egere doctore, & continuò nobis mille exempla delege prophetis, psalmis, Apostolis profers, interpreraris: uerisimè illud quod est à Davide proditum de eiusmodi dicere possum: Sagittæ parvulorum factæ sunt plague eorum. Etenim nouæ isthac sacras literas exponendi ratio, multaq; sine delectu ex iisdem testimonia aggerandi manca prorsus & mutila quorundam locorum recitatio, & in alienum prorsus & contrarium sensum derisorquendi & deprauandi consuetudo, præterquam quod ueteres obscurat, & obterit maiorum nostorum laudes, iis maxime usurpari solet, qui pridem ab Ecclesiæ sanctæ institutis discesserunt. Ita Clemens Alexandr. (ne sine authore loquamur) Pro Clem. Alex. prophetis quoque scripturis uti audent qui persequuntur hæreses: sed primum quidem non omnibus: deinde non perfectis, neque ut dictat corpus, & consistens prophetia, sed eligentes ea quæ dicta sunt ambiguò trahunt ad proprias opiniones: pauca no[n] sparsim carpentes non id considerantes quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione uententes: Neque iis quas affirunt allegationibus, ita ut easrum natura postulari uententes. Neque ergo uolunt conuerti ad ueritatem, ut quos pudeat deponere comprobandum sui in seipso amoris: neque sciunt quæ res

tione posunt suas stabilire opiniones, Scripturis vim afferentes. Cum autem ad falsa in uulgo proferentur dogmata processerint, cum omnibus ferè scripturis euidenter pugnantes, et semper à nobis qui contrà eos dicimus confutati, quod reliquum est nunc adhuc quoque sustinent partim quidem ex propheticis aliqua non admittere: partim autem nos tanquam qui simus alterius naturæ, non posse, quæ sunt illorum propria intelligere, calumniantur. Cum uiderent ergo non de uno dogmate, sed de conservanda hæresi (ne soli pereant, sed participes horrendi criminis sui reos alios faciant) non ueritatem inuenire, sed quod est commune fidei superare concidentes exceperunt à ueritate. Omnis hæreticus (ait Hiero.) pollicetur excelsa, et cùm alas habere se iactet, tamen hæret in salmis fluctibus, et procul non recedit à terra, in medioq; cursu patitur repente naufragium. Et Augustinus: Non pro sententiâ diuinarum scripturarum, sed pro sua dimicant, ut eam uelint scripturarum eē, qua sua est, cùm potius eam quæ scripturarum est suam esse uelle debuissent. Atque ideo Nyssenus improbos institores diuinum argentum adulterantes uocat, et Ignatius, cauponantes uerbum Euangelii. Nam cùm Ecclesiasticae cognitionis (addit Clemens) non didicissent

mysteria, neque ueritatis percepissent magnitudinē, ut qui in perscrutando rerum profundo fuissent so= cordes, et superficie tenus legentes aperte ostendunt se magis curare se ut uideantur, quam ut philoso= phentur: et quiduis potius tolerant, et omnem, ut aiunt, rudenter mouent, etiam si futuri sint impii, propterea quod non credunt Scripturis, quam à se. Et ae sibi grato honore deducantur: omnisq; ut ui= detur, haeresis ab initio habet aures, quae non au= diunt, id quod est utile, sed solum patent, iis quae dicuntur ad uoluptatem. Nam curatus esset utiq; eorum aliquis, si tantum uoluisset parere ueritati. Hactenus Clemens. A quo ego criminis vir nobis= lissime abesse te puto, et opo, Quod si semel admis= fa fuerit haec licentia, ut libros sacros pro suo quis= que arbitrio interpretur, horreο dicere, quantum om= nino abolendae Christianæ religionis periculum consequtatur. Etenim una quaelibet particula san= etarum scripturarum humanorum ingeniorum li= bertati permissa, alia, atque alia dcinceps, et reli= quæ omnes humanitus tractabuntur, et quod ad Constantimum Hilarius scripsit, Euangeliorum sinceritas corrumpetur, et recta Apostolorum re= gula deprauabitur. Videas enim plerosq; hæretico= rum, uolare per singula quaeq; , ut ait Lyrinensis,

sanctæ legis uolumina; per Moysi, per Regnorum libros, per psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos, siue priuatim siue publicè siue in sermonibus, siue libris, siue in conuiuiis, siue in plateis, nil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam scriptura uerbis penè adumbrare conentur. Porro si totam scripturā hominum quorumlibet ingenio arbitratuīq; exponi liceat, quid firmum in eis, quid constans res linquetur? Cum enim siue concionatores, siue scriptores omnes, qui sanctissimis Ecclesiæ patrib. successere Sacrae scripturæ sensum populo tradiderint iuxta doctrinam à Sanctis acceptram, populus autem sensum eundem fuerit amplexus, nimirum quia concordem sanctorum Patrum, et ueterum Theologorum expositionem reiicit sensum, et intelliget, quām hactenus Ecclesia seruauit reiicere conuincitur. Sunt profectò in libris sacris loci in quibus tanta difficultas, et obscuritas inest, ut cum in iis multorum Theologorum sudarint ingenia, adhuc etiam uel doctissimorum uigilias requirant, et tamen quosdam dicere memini uniuersos scripturæ locos se facile expedire, atque interpretari posse. Terenium (ait August.) sine magistro attingere non audess; Asper, Cornutus, Donatus re-

quiruntur, ut quilibet Poeta possit intelligi: tu in Sanctos libros, sine duce irruis, et de his sine præceptore audes ferre sententiam? Iterum: Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, usq; ad decrepitam senectutem, maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, non quo ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate, sed cum quisq; ibi fidetur, sine qua pie, recteque, non uiuitur, tam multa, tamq; multiplicib. mysteriorum umbraculis opera intelligenda proficientibus restant: tantaq; non solum in uerbis, quibus ista dicta sunt, uerum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientie, ut annosissimis, acutissimis, flagrantiss cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: Cum consummauerit homo, tunc incipit. Fluctuat sepè Hieronymus: ego hæret in Salo, et nauiculam suam rerum difficultate mergi sepè dicit, et quidam sunt ea confidencia, ut omnia facile expediant. Quod si tanta est facilitas, nec torqueri possunt scripturæ, aut flecti in uarios sensus) patent enim et apertae sunt, ut isti praedicant. Unde ergo per annos bis mille tot haereses ortæ, ex prava intelligentia scripturarum, unde tam uariae

Aug. lib. de Catechizandis rudib. ea. & Idem epi. 3. ad Volusianum.

¶ discrepantes sententiae, odia, intestinae dissensiones, criminationes, & ministrorum in ministros execranda conuicia? Unde inter ipsos Lutheranos de rebus maximis controversiae? Unde tot se Etiae in tot partes disiectae? & quorundam ea desperatio, ut in tanta fidei suae incertitudine, & in constantia quidam non dubitauerint uitam sibi ipsi uel laqueo adimere, uel alio supplicii genere sibi manus afferre.

Sed ut ad institutum accedamus, idq; agamus, quod huius loci est, & tu maxime optas nempè dari tibi ex scripto uerbo Dei thesibus tuis contrarias Antitheses, ac disputas: Nil praeter scripture uerbum Dei te admittere, Deum enim nullius egere testimonio: quidquid Apostolicis & Ecclesiasticis traditionibus comprehenditur, obscurare doctrinam Filii Dei, atque ad tuam sententiam confirmandum loca affers, nulla personarum, nulla locorum & temporum quibus illa scripta sunt habitatione: Vt:

Ego ab homine testimonium non accipio. En tibi Antithesim, ex eodem scripto uerbo Dei: Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Iohannes, Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Et quoniam Dei uerbum sibi cocaberet

1. Thesis.

ret & mirificè consentit, uel Sacras literas sibi iniucem pugnare concedat, uel Iоannem, qui testimoniū perhibuit de lumine, hominem non esse, quoniam Christus ab homine (ut ait) testimonium non accipit, uel Christus secum ipse pugnat, quia ait apud eundem Iоannem: Vos testimonium perhibetis de me, quia ab initio mecum estis. Et: Eritis mihi testes in Hierusalem. Et: Hic est qui testimonium perhibuit, & scimus quia uerum est testimonium eius.

Rursus quod ait: Omnia quæ à patre accepit nota habebant Apostoli: Sensem Christi habebani: Divites facti in omni uerbo, omni scientia: omni gratia, possumus & nos aggerere ex eodem uerbo Dei c Antitheses. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & :Erat uerbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ direbantur. Et Non dum enim sciebant scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere. O stulti & tardi ad credendum in omnib. quæ locuri sunt propheta. Et: Interpretabatur illis omnes scripturas. Iam si nil ad cognitionem creditibus & fidelibus deest, quomodo Petrus non iudicabat simulationem suam esse Evangelio contraria? quomodo ignorat sensum Christi, cùm ait: Absit Domine quia nunquam man-

ducant omne commune et) immundum? si omnia fideles sciunt, et) indicare posunt, cur fideles quidam insultabant Petro, quod ad Cornelium accessisset? Non, ait, omnes tenere sensum Christi? Quid ergo Antiochenis impedimento fuit, quo minus discernerent Pauli doctrinam ueram esse, aliorum falsam? sed in Senatum Hierosolimitanum referrent ut seniores iudicarent, Quemadmodum et in Deuteronomio non tam ad Scripturam quam ad Iudicum examen atq. iudicium disceperantes reiiciuntur. Quin et apud Malachiam labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore eius. Quod si in rebus obscuris et ambiguis ad eandem scripturam semper recurrentum, neque uillas Ecclesiasticas uis esse sanctiones, nullas Tradiciones, non scriptas, quomodo de ore Sacerdotis legem requirendam ait Malachias? Nonne Antiocheni ad Apostolos et seniores: non ad scripturam reuocant? neq. uero dicunt: Uisum est scripturae: Sed uisum est Spiritu sancto, et) nobis. ueris simus id, iustissime, sanctissimi. Neque enim Spiritus sanctus in Syllabis, sed in cordibus habitat. Iam enim si ii qui Paulo aduersabantur Scripturæ iudicium in causa illa expectare debuissent et omnia maiorum instituta, ueterisq. Ecclesiæ sanctiones re-

secissent, profectò causa illa in obscuro adhuc posita esset, neq. adhuc fuisset scrupulus ille exemptus.

Item illud: Omne consilium Dei annunciauerunt Apostoli, et in omnibus diuites facti omni uerbo et scientia. Antithesis. Non potui uobis loqui quasi spiritualibus. Item: sapientiam loquor inter perfectos. Rursus: Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare. Et illud: T anquam parvus in Christo lac potum uobis dedi. Si lac, non escā, id est, solidiorem cibum: maiora quedam arcana et sacramenta Mysticoteria tacet, et quoniam omne consilium Dei annunciauerunt, qua silentio tegit consilia Dei non uidebuntur.

Pergis: Deus omnes credentes omnia ad salutē necessaria in uerbo suo edocuit, Ergo nil ad cognitionem deest. Resp. Te hic nobiscum sentire, quamquam tu fortasse non consideras, peto enim numerum uerbum Dei putas id quod scriptum non est? Dabis profectò imò id propriè Dei uerbum. Num enim uerbum propriè si loquamur, et ad uiuum resecessimus illud dicatur, quod est literis et) arramento consignatum? Si uerbum Dei solum appellaueris quod scriptis proditum est, uide quo delabaris. An te Euangelium scriptum, imò neque ante legem, nullum fuisse uerbum Dei, et tamen cum et Caz

3. Thesis.

4. Thesis.

tholici, et hæretici consentiant Ecclesiam esse non posse sine uerbo Dei, horreo dicere, quantum incommodi ex tuis dictis consequatur, nempe ante scriptum Euangelium, immo et antè legem nullam fuisse Ecclesiam, quod nemo hominm est, tam temerarius et audax, qui affirmare audeat. Scimus enim Ecclesiam ab Adam cepisse, eamq; fide unius mediatoris in carne uenturi propagaram fundatamq; fuisse. Ergo uel Ecclesiam antè Euangelium literis proditum nullam fuisse necesse est, uel si ullus fuit, uerbum non scriptum admittas oportet, quo illa primum lactata, educata, alta, erudita, ad Moy sen usque, fuerit: eodemq; non scripto uerbo à Moy se usque ad Euangelium, et nostra tempora, quod nos non humanas quidem sed Ecclesiasticas, Apostolitas, & uerè diuinis Traditiones appellamus. Itaq; cùm constet Euangelium prius uia uoce docuisse Apostolos, deinde literis mandasse (hoc enim significat Lucas initio cùm ait: Ut cognoscas eorum uerborum de quibus eruditus es ueritatem) doctrinam fidei praesuisse, scripturam subsecutam ostendit. Neque uero ullum erat scriptum Euangeliū cùm Christus quod illa unguentum effudisset, ait: Amen dico uobis ubiq; prædicatum fuerit Euangelium hoc, et quod hac fecit etc. Rursus

cum ait Lucas: Sicut tradiderunt nobis, ex eoq; mo ueri se ad scribendum, constat fuisse in Ecclesia fidei dogmata, que nullis adhuc literis continetur. Quod si Apostoli nullas nobis scripturas reliquistissent non oportebat nos traditionis Ecclesiasticae ordinem sequi, quam fideles antè scriptum Euangeliū sequebantur? cùm ergo ait Deus omnia ad salutem necessaria in uerbo suo edocuit, præclare: se uerbo suo Traditiones etiam, immo eas maxime uelis comprehendendi. Constat enim doctrinæ iam uulgatae, ut dicebam, scriptiōnem accesuisse: constat etiam Christi fidem, sensum, doctrinā, Religionem, Traditionē primū, id est, uerbo non scripto, deinde literis, et atramento fuisse consignatam. Et profecto nemo tam cæcus est, ut in tanta luce uelit cœcutire, neque tu si dignum te ea doctrina, qua excultus es præstare uelis: negare potes, qua dicis, Omnia ad salutem necessaria uerbo suo edocuisse, Traditiones maxime Ecclesiasticas contineri. Quod si nomine uerbi Dei sanctiones hæ Apostolicae, id est, diuinæ continentur, (neque enim aliter dicere possumus) fatemur Deum omnes credentes omnia ad salutē necessaria uerbo suo edocuisse.

Quid enim de sanctissimæ uirginis puritate; de scensu Christi ad inferos; baptismo parvolorum;

conuersione panis & uini in corpus, & Christi san
guinem; procesione Spiritus sancti ex Filio, & cæ
tera eiusmodi, que possem attexere putas ne ad sa
lutem necessaria, nec ne? Sic dispuo. Quæcunque
sunt ad salutem necessaria Deus uerbo suo scripto
edocuit.

At neq. de paruolorum baptismo: puritate
virginis: descensione ad inferos: conuersione
panis & uini: Sancti spiritus procesione quid
quam uerbo scripto suo edocuit.

Ergo hæc non sunt ad salutem necessaria.

Propositio tua est eo quod assumitur, nil uerius: ne
que enim oculos habes tam eruditos & perspicaces,
ut mihi de his rebus scriptum uerbum Dei possis
ostendere, & id solus uideas, quod nusquam est.
quod si hæc maiorum nostrorum qui Ecclesiæ funa
datam nob. reliquerunt, Traditionibus accepimus,
& ad hæc usque tempora credimus & conserua
mus, sunt autem ad salutem necessaria, Omnia au
tem (iterum enim repetendum est) ad salutem ne
cessaria uerbo suo edocuit, Ergo nomine uerbi Dei
Ecclesiasticas sanctiones & Traditiones compre
hendas oporeet.

Illa enim adeò certa in fide sive, ut contrario
rum dogmatum authores & propugnatores Eccle

sia Dei, non refragante te, hostes, & aduersarios
iure indicauerit.

Illud etiam quod inducis, Deum Israeli notas
fecisse uias suas, pro nobis facit. Nam uiae quas no
tas fecit ea uerbo scripto non continebantur. patet,
Enarraui Moysi mirabilia multa & præcepi ei,
dicens: Hæc palam facies, & hæc abscondes, num
quod ait, Enarraui scriptum uerbum est, an non
scriptum? rursus: Quædam palam facies, quædam
sapientibus abscondes. Item: Auribus nostris au
diuimus Patres nostri annuncianuerunt nobis.
Tum: Interroga maiores tuos, & annuncia
bunt tibi.

Tu uero hæc omnia reiicias oportet, quæ uerbo
non scripto docebantur. Quod si scriptum legimus:
Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas pro
iicere ante porcos. Et: Formam habeo sanctorum
uerborum, quæ à me audisti, quædam ergo prohi
bet Christus inuulgari, & non scripto, sed Ecclesiæ
stica disciplina; & Traditione contineri, alioqui Ti
motheo ea nobis, quæ à Paulo acceperat enarranti,
quod illa scripta non essebant, non eras crediturus. Et
enim si scripto Apostoli omnia tradidissent, quid
fuisset aliud quædam sanctum dare canibus, & mar
garitas proiicere ante porcos? id est, uel Ethnicis rū

ridenda proponere uel in contemptum & risum res sacro sanctas adducere? Si quando aduenisset alius ex iis qui secuti sunt c. Apostolos (ait apud Eu sebium Papias) ab ipsis sedulò expiscabar, nec non tantum mibi librorum lectiones prodeße credebam quātum uiuæ uocis præsentisq. Magisterium Apparet igitur Verbum quod tantopere Lutherani iste. Etant, non tam scriptum, quām id quod scriptum non est, esse censendum, de quo idem qui nostas fecit Israeli vias suas, ait: verba mea quæ posui in ore tuo non recedent etc. neq. dicit: Quæ scripsisse, sed, Quæ posui in ore tuo, quo neglecto, et è medio sublato heresum & errorum (ut quidam ait) Lupanar induci necesse est, ubi erat ante casta & corruptæ sacrarium ueritatis.

Et profectò ita est postquam maiores nostri Ecclesiæ columnæ, qui à Domino suscepserant uiue uoces auditones discesserunt è uita, tum hæretici omnibus machinis Ecclesiæ oppugnare cœperunt, quod si nos de via defleximus, & in errore uersamur, si puppi excidimus, uos gubernacula retinetis, sumus autem errore liberādi, & in uiam portumq. deducendi: non tam scripto uerbo, quām non scripto, id est Traditionib. agasse Audit Tertullianum, & aduersus hæreticos (ait) magis Traditionib. quam

scrip-

scripturis differamus. Scripturæ enim in variis sensibus facile trahuntur. Traditiones non item. Et Ignatius: Maxime hæretorum uitari contagia, si diligentius ac tenacius Apostolorum Traditionibus hæreamus. Ponamus enim Catholicos, & eo etiam qui Catholicæ non sunt, pro sua quenq. sententia tuenda uarios Scripturæ locos aduocare, & de uero illorum sensu dubitare, neque ullum esse finem disceptandi, profecto quis uerus & legitimus Scripturæ sit sensus, non tam idem uerbum scriptum, quia de eo dubitatur & disceptatur, idq. quod incertum est ad certæ rei confirmationem induci non posse, quam Ecclesiæ Traditione, & ueterum patrum firma constansq. sententia ostendere potest.

Nam quod nobis obesse putas: Non opus habetis doctore, quia unctionio eius docebit uos, nil obstat neq. id ad Ecclesiæ, & ueterum Traditionum auctoritatem eleuandam dici potuit. nam si quilibet non opus haberet doctore, quod sacrarum rerum, ut ait, posset ex se ipso cognitionem adipisci, & nullo precepore, nullo duce sensum habere sanctorum Scripturarum, quorsum igitur posuit Deus in Ecclesia doctores & Magistros? Etenim si plebeius & ruidis ab unctione docetur, quomodo ait Paulus, prius posuit in Ecclesia Apostolos, secundo pro-

d

phetas, Triton didascalus? Et quid Dionysius discipulum hortatur, ut sanctis solum sacrarum rerum intelligentias pandat? Quas uero intelligentias? nempe depositum illud de quo Paulus ad Timotheum: Depositum custodi. Quale uero depositum si nullo opus habemus doctore? Neque uero Apostolus quæ scribit: Non opus habere doctore, cum imperitis agit, sed cum peritis et) doctis, præcedit enim: Non scripsi uobis quasi ignorantibus ueritatem, sed quasi scientibus eam. Itaq. sapientibus Ecclesia doctoribus atque Magistris interna illa uincio satis esse posse ad eos errores, qui fidei aduersancur, confutandos. At ignaris et) imperitis etiam externa doctrina opus est, eorumq; maxime quos Deus in Ecclesia constituit pastores, atq; doctores. Neq; uero pii et) iusti homines, quamuis Spiritum Deiunctionem habeant, non statim omnia, quae in fide sunt intelligunt, atq. cognoscant. Num enim de plebe quispiam etiam uitæ probitate, et) innocentia conspicuus, ea omnia quæ singulis necessaria non sunt, sed ad Ecclesiæ communem utilitatem societatemq; tuendam, statim comprehendat? quasi uero neceſſe sit ab Unctione doceatur accidentia in Sacramento altaris esse sine subiecto: quod si ab eodem queras, num Christus pro peccatis san-

guinem suum fuderit, et) acerbissima morte rede-
merit, profectò id ab unctione decebitur, ne præſta-
ti quod in ſe eſt, Deus fidem ad ſalutem neceſſa-
riam denegafe uideatur. Itaq. ut rem abſoluam :
fateor uera eſſe quæ colligis: et) Christum audiri, à
patre fuſſe iuſſum: eundemq; quæ à Patre audie-
rit, nota feciſſe: Spiritum ſanctum deduxiſſe Apo-
ſtolos in omnem ueritatem: illos etiam myſte-
ria regni cœlorum calluiſſe: Diuites factos in ome-
nibus: Uniuerſos doctores alia docentes, non reiici-
endos tantum, ſed Anathemate feriendos: fateor
etiam plurā præter verbum Dei nec audienda, ne
que tradenda, neque credenda, illud tamen conten-
do et) euiciſſe me puto, Apoſtolicas, et) Eccleſia-
ſticas traditiones eo maxime nomine cenſeri.

Venio ad id quod de ieunio quadragesimali
acrius contendebas, ac memini dixiſſe te, libertatē
fidei quam Christus mundo peperit, eiusmodi ieu-
niorum uinculo quibus conſcientiae alligantur, et)
intolerabili penē iugo et) onere opprimuntur, admit-
tere nullo modo poſſe: neque ullā nobis legem potuif-
ſe conſtitui, qua ad Quadragenarium iſtum die-
rum numerum capitali ferē pena adigeremur: ne-
que uero ieunium in uniuerſum ſi loquamur, con-
ſtare, Dei iram mitigare. In quo equidem ſatis mi-

rari non possum, qui in diuinis literis & scriptorib.
Ecclesiasticis diligenter uersatus sis, cùm ista dis-
putares, non tibi in mentem uenisse post fidei &
charitatis præcepta nil & quæ nobis præscriptum in
dictumq; fuisse, & in Euangeliis & in Paulo,
quæm carnis repressionem, usumq; ieunii. qui enim
corpus suum in seruitutem redigebat, ne cum aliis
prædicasset ipse incontinentis reperiretur: non leges ab
stinentiæ, ieuniiq; prædicabat? homines enim a ter-
renis & carneis uoluptatibus ad illa diuina & spi-
ritualia gaudia uerè abstinendi præcepto renocari
uidemus. Quamobrē istos probare non possum, qui
tam superbe & petulanter aduersus principes au-
toresq; Ecclesie, & contra abstinentiæ decreta non
uerbis irruunt modo, uerum etiam factis, cum præ-
sertim nemini, cupienti his se legibus exsolui, suam
Ecclesiastica mansuetudo benignitatem interclua-
dat. Nam si qui sunt, qui aut ualitudine infirma-
sint: aut à pristinis moribus agre dimoueantur, aut
etiam qui sibi indulgeri aliquantum plus uelint,
causasq; dicant quaslibet, non solum graues & ne-
cessarias, uerum etiam leniores, ut itinerum, ut stu-
diorum, ut laborum, deniq; qui quoquo modo remie-
ti sibi hanc necessitatem postulent, quid est ad in-
dulgendum his, moremq; gerendum Ecclesia Ro-

mana, & hac Apostolica benignitate propensiuss?
At enim uis non debuit afferri, hoc enim est quod
maxime urges, sed cunctos suo ipsorum arbitrio o=
portuit permitti, quando fides Christi libertatem
omnibus dat, neque uult quencunq; ueteris legis culo, aut eiusmodi necessitate aliqua adstrictum es-
se; & ut ueniam ad libertatem fidei quæ toties à
te proposita, & toties repetita est: fateor Christi fi-
dem esse libertatis Magistrum, nullisq; eiusmodi
legibus, nec seruitutibus eam nos astringere, quæ ad
corporum cultum, curam ue pertineant, sed tamen
ut Apostolus Petrus inquit, non debet illa liber-
tas mantellum esse malitiæ, quod si tales Christi fi-
deles, quales quidem esse debauerunt extitissent, non
hanc futuram fuisse necessariam legum condenda-
rum sollicitudinem, & curam, per quam in officio
homines & in sobrietate continerentur, fuisset enim
tum sibi unusquisq; lex: neque in se solum, sed in
ceteris quoque exemplo & doctrina moderandis
habuisset autoritatem. Sed si, per quā pauci sunt,
qui spiritum sequuntur, qui Christi fidem, quemad
modum quidem oportet, teneant, si maxima longe
multitudo, ad carnē, corpusq; delabitur, & ab his
quæ fidei sunt non solum usu, sed etiam intelligen-
tia est remora, quid tandem decuit fieri? Quero.

abste Luthere qui primus hasce leges, et obseruantias damnare ausus es: cum peccaret homines, cum laberentur, cum ad libidines, et ad facinora proclives essent, cum epulis, uino, luxuriæ se dederent, cum uerbis tantum et uoce Christum confitentur, ceteroqui gentium similes existerent, quid fieri fuit necesse? sinere eos, et suo arbitratu ferri, sua libidine permittere? qui ergo non male, et perperam leges Imperatoriæ lata sunt, quæ delinquentibus pænas, et summum sàpè supplicium propounderunt? quas te autore antiquari oportet, et Imperatorum consilium condemnari: astringunt enim homines seruitute leges istæ, quos Christus liberos esse uoluit. Quam igitur uitæ spem, aut quem ordinem rerum aut publicarum, aut etiam priuatarum hominibus relinquis? Quod si in his quæ ad societatem pertinent ciuilem, cætusq; hominum, quos ciuitates vocamus, in officio et concordia continent, necessario fuit prouidendum, legesq; ponendæ quæ delicta hominum pænis comprimerent ne facinorofis, et audacibus Resp. prædictæ aut ludibrio eßet: fidei q. Christi in eo quo minus ita fieret non est spectata, neque animaduersa libertas: tibi ne minus iusta, aut minus idonea uidebatur ratio, homines ad abstinentiam, et sobrietatem legibus a digendi, quo

nomen omnipotentis Dei, et ratio uera fidei nostræ, quæ in Spiritus libertate, non in carnis licentia posita est, etiam ab iniuitis quoquo pacto coleretur? Nam si hanc uentris ingluuiem, tametsi Apostolico ore reprehensa est, nullis adhuc legibus Christianis morib. pelli potuisse uidemus, ut non uberiorius postea ebullierit: quid metu legum sublati fieri potuisse censemus? Nam cum eos homines, qui summum bonum uoluptate metiebantur Graecia quondam dederit, et qui in ea uoluptate, quæ maxima dulcedine sensum moueret, summum bonum ponere, hominemq; diuinum animal, ut tardam aliquam, et laguidam pecudem, ad pastum, et ad procreandi uoluptatem ortum, dicere ausi sunt: tamen in Christiano populo, suos etiam, quorum Deus uenter est, et gloria in confusione, Epicuros, Aristippos uidemus successisse. Fuerunt optimi Aerius, et Iouianianus, Christianorum Epicuri. sunt et nostro aeuo, qui ex illis, ut Euphorbus in Pythagoræ renati sunt. His cum summum studium sit, uoluptribus frena laxare, uentriq;, et iis, quæ sub uentrem sunt, turpiter, et flagitio se indulgere: hoc uel in primis Christianæ libertatis esse uociferantur, cibis omnibus nullo: discrimine uti, neque esse aliud, quod aequo Christianæ li-

bertati aduersetur, quām statim illi totius anni, cum quadraginta maximē ieiuniorum dies. quae cū dicunt, non obscurē prae se ferunt, se in Aristippi & Epicuri philosophiam pedib. discedere, id est, uoluptariam Cyrenaicorum uitam falso Christianae libertatis praetextu, in Christi populum inducere. Erant olim apud Romanos Orchia, & Fannia leges Sumptuariae, siue Cibarias, cum Catone appellare uoluerimus. hae conuiuarum numerum praescribebant, & modum faciebant sumptib., ne quid uolucrum apponenteretur, praeter gallinam unā, quae non esset utilis. Sequuta est Didia, quae non solum ijs, qui cænas maiore sumptu fecerint mulierem irrogabat, sed qui ad eas uocati essent, uel omnino interfuerint. Successit Licinia, quae diebus ijs, qui excepti non essent, amplius quām carnis aridae pondo tria, & salsamentorum pondo libra, quodq; ex terra, uite, arbore ue natum sit, nullo modo apponi permittebat. Quid hic dicturi sunt, qui negant, ciborum delectum, & certis, statimq; diebus prohibitum uictum, cum Christiana posse libertate consistere? Quid? Romana libertate incolimi, atq; adeò florente, cibariae, & sumptuariae leges ferebantur: & Christiana illa libertas pericitabitur scilicet, si dies aliquot, Religionis ergo, carnis tem peremus?

peremus? Vetus illa, & primitua Ecclesia, iam tum recens ab Apostolis constituta, sumptuarias leges salutariter tulerit, & nos eas audemus infringere? Veteres certe Christianos carnib. abstinuisse, uel ex eo constat, quod aliquando ab ætnicis accusati, quod cruda uescerentur, & nefaria sacrificia, infantium uisceribus cruentarent: Blanchina Christiana mulier illorum innocentiam huiusmodi oratione defendit: Multum erratis oī uiri, qui creditis infantium uisceribus uesci eos, qui ne mutorum quidem animantium carnibus utuntur. Tertullianus aerō grauiss. & antiquiss. auctor: Quidam(ait) ipsam Dei creaturam, sibi interdicunt, abstinentes uino, & animalibus exulantes, quorum fructus nulli poculo, aut sollicitudini adiacent, sed humilitatem animæ suæ, in uictus quoq; castigatione Deo immolant. Hieronymus: Procul sint à conuiuis suis Saluina, Phasides aues, crassi turtures, attagē Ionicus, & omnes aues, quibus amplissima patrimonia auolant. Nec ideo te carnibus uesci non putas, si suum, leporum, atq; ceruorum, & quadrupedum animantium esculentias reprobes. non enim hæc pedum numero, sed suavitate gustus iudicantur. Scimus ab Apostolo dictum: Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum

gratiarum actione percipitur . sed idem loquitur : Bonum est uinum non bibere, et carnem non manducare. Et alibi : Nolite inebriari uino, in quo est luxuria. Omnis creatura Dei bona est. Audiant hæc mulieres, quæ sollicitæ sunt, quomodo placeant uiris. Comedant carnes, quæ carni seruiunt, quarum feruor de spumat in coitum, quæ maritis alligatae generationi, ac liberis dant operam : quarum uteri portant fætus , et earum intestina carnibus implentur. Tu uero, quæ, in tumulo mariti, sepelisti omnes pariter uoluptates , quæ litam purpurissam, et cerusa faciem super feretrum eius lacrymis deluisti, quae pullam tunicam, nigrosq; calceolos, candidæ uestis, et aurati socci depositione sumpfisti : nil habes necesse aliud, nisi perseverare in iejunio . Sed quoniam uniuersum uitæ tempus in iejunio consumere, quibuslibet Christianis fuit prope intolerandum, delecti sunt quarta, et sexta Sabbati dies, quibus Christianus populus carnem maceraret. Scribit enim Tertull. eos piaeceris dies, plus aliquiddignitatis habuisse. Epiphanius : Quis est in uniuersis orbis terræ regionibus qui in hoc non consenserit quod quarta, ac sexta hebdomadae dies ad iejunium in Ecclesia segregati sunt ? Hieronymus : Obseruamus quartam sabbati, et paraseuen, sed

citra superstitionem. Causam uero reddit Augustinus: Ipsa (inquit) quarta sabbati iejunio deputata est, quia sic Euangelista ait : Tunc congregati sunt principes Sacerdotum, et consilium fecerunt, ut Iesam dolo tenerent, et occiderent. Intermiso autem uno die, quo dicit Euangelista: Prima autem azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum dicentes; Ubi uis paremus tibi comedere pascha? hoc ergo die intermiso passus est Dom. quod nullus ambigit sexta sabbati, quapropter, et ipsa sexta recte iejunio deputatur. Ante omnia uero solemne, et Sacrosanctum semper fuit Quadragesimæ iejunium; quod et latissime semper patuit, omnemq; aetatem, et sexum comprehendit, et Graecorum, et Latinorum patrum scriptis, atq; sententiis commeditatissimum est. Nulla ē insula (ait D. Basili.) uel continēs, nulla ē ciuitas, uel gēs, neque solitudo, quae Quadragesimæ praeconium non audierit, sed et militum castra, et viates, et nautae, atque mercatores, omnes Quadragesimæ praeceptum et audiunt, et cum gaudio suscipiunt, ut nullus sit qui se iejunantium catalogo eximat, in quo omnia genera, et omnis actas, et dignitatum differentiae omnes recensentur. Hieronymus: Cum per omnem annum iugi iejunio pasceretur (Asella) biduo, tria

duoque sic permanens, cùm uero in Quadragesimæ nauigii sui uela tendebat, omne penè hebdomadas vultu laetate coniungens. August. Ieiunium Quadragesimæ per totum terrarum orbem, quotannis omni studio celebratur, in conuentu Catholico. Hanc qui ritè obseruant, necesse est, ut abstineant à carnibus. Chrysostomus, cum sub Quadragesimam Genesim populo explicare caepisset, gratias agit, quod macella uideat clausa, nec iam ut antea obsonatum populus irat. Quadragesimæ ieiunium (ait August.) auctoritatè habet, & in ueribus libris, ex ieiunio Mosis & Eliae, & ex Euangeliō, quia totidem dieb. Dominus ieiunauit, demonstrans Euangeliū non discentire à Mose prophetis. atque ita Ignatius, Theophilus, & Ambrosius ieiunium hoc ab Apostolis, ac Christo ipso. indictum esse scribunt. Ac fuit quidem olim Christianis usque adeo usurpatum, ut Monchanus cùm suis, tres etiam Quadragesimas seruari voluerit. Qui tribus (inquit Hierony.) Quadragesimis se adfligunt, hoc merentur audire: Tantæ passi estis sine causa. Nos unam Quadrag. secundum traditionem Apostolorum, tunc anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluari

tores. Non ergo, in ea re, quæ nullo modo libertatis, sed necessitatis est (ut ad institutum reuertamur) sed necessitatis debuerunt homines, suae voluntati, arbitrioque permitti. Haec enim tam perpetua, & constans ab Apostolicis temporibus ad nos usque. deducta consuetudo, cui pio Christiano pro lege non debeat esse? Et qui contra sentiunt, impij illius Aerij errori patrocinantur, cuius haec est apud Epiphanium oratio: Sed neque ieiunium est præceptum, nam hæc Iudaica sunt, & his impedita, qui subiugo sunt seruitutis. Iusto enim non est lex posita. quod si omnino ieiunare uoluero, qualiscumque a me ipso diem elegero, ex libertate ieiunabo. Unde apud ipsos (addit.) adhibito studio potius Dominicō die ieiunatur, quarto uero, & sexto die epulantur. frequenter autem & quarto die ieiunant non ex ordinatione, sed propria electione. In postremis Quadragesimæ diebus quando apud nos humi cubatur, in puritate uiuitur, afflictiones tolerantur, arida duntaxat eduntur, praecationes, uigiliae, ac ieiunia seruantur, omnisque animarum salus, per afflictiones exquiritur: ipsi à prima statim luce obsonantur, carnib. ac uino suas replentes. venas, cachinantur, irridentes ac subsannantes eos, qui sacrum hebdomadæ illius cultum obseruant. In eas-

dem sententia fuere Phychici, obscuri quidem, & minuti hæretici, sed Tertulliani scriptis nobilitati, qui et) ieunia oderant, & si qua admitterent, non imperio sed pro arbitrio, & uoluntate cuiq. suscipienda dicerent. Secutus est Iouinianus, qui cibis omnibus sine ullo discrimine utendum esse docuit, et) inter uescensem, & abstinentem nihil interesse. Aduersus quem scitissime Hierony. Fauent iibi crassi, nitidi, dealbati. adde si uis iuxta Socraticam irrisiōnem omnes sues, & canes, & quia carnem amas, uultures quoq. aquilas, accipitres, & bubones. nunquam nos Aristippi multitudo terrebit. Quoscunq. formosos, quoscunq. calamistratos, quos crine composito, quos rubentib. buccis uidero, de tuo armento sunt, imo inter tuos sues grunniunt. quod multi acquiescunt tuae sententiae indicium uoluptatis est. Habes præterea in exercitu tuo, multos succenturiatos, habes scurras, & uelites in præsidiis, crassos, comptos, nitidos clamatores, qui te pugnis, calcibusq. defendant. Tibi cedunt de uia nobiles; tibi osculantur diuites caput; nisi tu uenisses, ebrij atque ruētantes paradisum intrare non poterant. Maecte uirtute imo uitijs. habes in castris tuis et) Amazonas exerta mamma, & nudo brachio, & genu uenientes, contra se uiros, ad pugnā libidinum.

prouocantes. & quia opulentus pater familias es, in auiaariis tuis non tortures, sed upupæ nutriuntur, que tota factide uoluptatis lustra circumuolant. Hec Hieronymus in Iouinianum perorabat. In Psychicos uero Tertull. Deus tibi uenter est; pulmo templum; & aqualiculus altares; et) Sacerdos loculus; et) Spiritus S. nidor; et) condimenta charismata; & ructus prophetia. Uetus es; uera si uelimus dicere, tu qui gulæ tantum indulges, & merito te priorem iactitas, semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissima tuæ disciplina uemissis ita spiritu deficis, si tibi lenticulam de furto inrufatam obulero: statim totos primatus tuos uedes. apud te Agape in cacabis feruet, fides in cultis caler; spes in ferculis iacet. quis sanctior interuos, nisi coniuandi frequentior, nisi obsonandi pollicibilior, nisi calicib. instructior? cur ergo non constanter prædicatis: Manducemus, & bibamus;, eras enim moriemur, sicuti nos non dubitamus exerte mandare: Ieiuncemus fratres, & sorores; ne forte eras moriamur. Vides opinor, quanto orationis ardore; & contentione dicendi ueteres Ecclesiæ patres pro Quadragesimæ ieunio decertarint? Vides fulmina, & tonitrua defensorum Ecclesiæ?

Quid aliud loquuntur, clamant, uociferantur, quām leges eas, quibus homines ad abstinentiam, et sobrietatem adigantur, fuisse semper ab Ecclesia optimo confilio, et salutariter latae? Neque tamen propterea ignoro, aut dissimile monumētis esse traditum, primo illo inductu fidei nostrae cūm increbesceret quotidie Christi nomē, hominesq; ardore quodam amoris ad Deum se adiungerent, nullas huiusmodi leges, neque conditiones impositas hominibus fuisse, cūm ipsum studium fidei atq; Dei, sat ualida per se lex eſset omnes à corporeis studijs ad spiritualia reuocandi. Ita q. Quadragesimam legitimus nulla iudicata lege, qua communiter teneret omnes, tantum suo cuiq; arbitratu, et sua sponte obſeruatam tunc fuiffe. Qua de re in antiquis historiis est scriptum, quod in ipsis Quadragesimæ ieuniis aliae apud alios obſeruationes uigabant. Roman i tres antē Pascha hebdomadas continuato ieunio obſeruabant: Illyrium item, et Graecia, nec non Alexandria, totaq; Aegyptus hebdomadas sex, quod ieunii tempus uocabant Quadragesimam. Alii uero septem antē Pascha hebdomadibus ieunium inchoantes, primis tribus cunctis, duas intermittebant: deinde in duas reliquias hebdomadas resumebant ieunium, duos die-

ruris

rum numerum non rementes, Quadragesimam etiam id tempus appellare parum congruum etiam temporibus illis uidebatur Ciborum quoq; mos, et abstinentia non omnibus par, nam alii omnino ab animaliis abstinebant: alij ex animalibus pisces sōlos: ecipiebant: addebat alii, et uolucres tanquam aereum id genus à Moyſe, non terrestre fuisse in licetum: quidam ne oleribus quidem uerban tur, sed arido tantum uescabantur pane: nonnulli panem quoque ipsum reiiciebant olera duntaxat adhibebant: alii ad nonam usq; horam ieunantes, quocunq; cibo, post indifferenter reficiebantur. Ita uarie apud diuersos uigebat consuetudines. Et quoniam huius res, (est n. hoc quoq; in historia ascrip tum) nullum uetus præcepium inueniebatur, credibile fuit apostolos uniuscuiusq; arbitrio liberum reliquise, ut timore nemo nec necessitate, sed uoluntate, et libero corde sibi id præscriberet, quod salutare, et bonum ipse iudicasset. Uides igitur hoc testis testimonio, quod circiter Constantini tempora, aut paulò infra literis mandatum est, quo ad uis fidei ī cordib. hominum fortiter uersata est nullum tale præceptum abstinendi, aut ieunandi hominib. datum, neq; uim impositā legib. latis fuiffe.

Non n. tunc erat causa præcipiendi cūm aqua-

f

iter omnes voluntariam moderationem abstinen= tiamq; præstarent. Quod si præcipere tunc opus non fuit in communi illo more, & hominum bonorum, et temporum, concede, postea necessarium fuisse, quæcum homines sensim illa timore Dei, & cælestium rerum cura soluti indulgere flagitiis, & in omne genus intemperantiae debere se cœperunt, quibus si aliæ ratione obuiam non fuisset itum, non ne ignorantia Dei, & gentilitas penè ipsa, in Christianum nomen reuertisser? sanctum igitur, et salutare fuit Ecclesiæ institutum talibus immoderationem legibus, & licentiam coercendi, quib. etiam qui nolleat ad curam aliquam, tamen & ad cogitationem concilendæ Dei adigerentur. Nam si documenta uetus statis, & Scripturæ sacræ testimonia diligentius inspiciantur facile apparebit intuentib. atq. intelligetur hanc esse ieunii, & abstinentiæ uim ut ea homines maxime, & in spiritualibus virtutibus confirmet, & ad regnum cælestè obtainendum faciat apostos.. Quod etiam in illo genere malorum Dæmonum, & difficiliore ad expellendum ostendit nobis Christus cum illud tantum eiici posse dixit in oratione, & ieunio. Itaq. & Christus ipse suo primus exemplo à baptismo Iohannis uestigio in deserto, & ad ieunium se contulit. Et populus He

braorum cum Aegyptum tanquam mundum eum regnum carnis relinqueret, atque in promissam terram (quæ figura eum simulacro cælestem patriam referebat) iter esset facturus antequam eò perueniret, atque in illis speratis, atq. exoptatis sedibus collocaretur, per annos quadraginta in deserto est retentus, & instructus: & omnibus patientiæ operibus examinatus est. Moyses quoq. neque congredi Deo, neque tabulas accipere diuinæ legis potuit nisi quadraginta dierum præeunte ieunio; quem eundem numerum dierum Elias ieunauit, ut ad monrem Dei posset peruenire. Cur itaq. quadragenarius iste numerus potissimum spectandus sit, ne illud dicam quod à plerisq. dicitur, à quaternario duci, qui numerus in primis corporeus est, uel à quaterno clementiorum numero: uel quod quaternarius primus, plures accipit sectiones in paria membra diuisas, quæ natura corporum propria uidetur esse: uel ut istud nesciam: neque n. omnia scire uobis fas est, illud quidem scio, quod video hunc semper ferè numerum in tristitia, & meroribus à Scriptura adhiberi. Itaq. & in ieunio Christi, & Eliæ, & Moysi, is numerus ponitur, & in commemoratione populi in deserto, & quadraginta in terris dieb. post resurrectionem Christi: & totidem Nisiuitis,

ad pænitendum præscripti dies, & quadraginta annis desertam fore Aegyptum Ezechiel testatus est; Idemq; tot dierum somnum in dextrum latus pro tribu Iuda obdormiri: pluiae quoq; diluvii diebus quadraginta i terrā se effudere: ut cum tot exēplis, & monumentis antiquarum rerum uideamus hunc præcipue numerum comprimendæ corporis carnisq; luxuriae diuino consilio imprimis consecratum quasi fuisse: iure is in ieunium quadraginta le relat⁹, & summa cum ratione indictus esse uidetur.

Cuius autoritatem infringere, & Ecclesiæ ueterem institutionem aspernari, hominum esse uideatur non libertatem, nec ueritatem fidei curantium, sed totos se superbis, malevolentisq; permittētum. Facile enim nunc intelligere te puto optimo ista consilio & à Catholica Ecclesia indicta, & à populis fidelib; suscepta obseruataq; fuisse: nempe quæ uiris temperatis & sponte sua Spiritum excolentibus ingrata esse non possunt: Intemperantes uero & carneos ad aliquam habēdam modestiæ, & sobrie tatis rationem compellunt, ut compressis per absti- mentiam effusis illis animorum motib; castus in hominib; mos, & probus insinuetur: Deniq;, quod caput est, homines à terrenis, & carneis uoluptati-

bus ad illa diuina, & spiritualia reuocentur. Nequero arbitror priscos illos pares prætermissoне iejuniorum uoluisse homines ad capitale crimen obli- gare, qui præferrim paterna quædam charitate cun̄ Etsi prodeſſe, & consulere studiuerint. Sed hoc illo- rum iejunādi preceptum (modo abſit contemptus) in eam potius partem accipi conuenire, ut doceantur homines quid recti moris sit, conducatq; ad uitæ continentiam, non ut cogantur, quæ multis in pri- mis bona uisa est sententia. Sed quoad autoritate Ecclesiæ, atq; Pontificis uinculum istud iejunandi retinetur, legib; parendum censeo, quæ quadraginta dierum ieunium Dei omnipotenis honori, ita con-secrarunt, ut quasi decumas in eo anni temporis dependere instituamus. Verum id potuit dieb. sex & triginta confici, quatuor porro reliqui adieci sunt, ad imitationem quadragenarii ieunii, quod Dominus Iesus Christus in solitudine continens, & perpetuum seruasse legitur, quod etiam antea in monte Sina à Moyſe, ut dicebā ī aquā simulacrum rerum futurarum obseruatum est. Dēpiis enim Do- minicis diebus dies integros 40. in ieunio isto nu- meramus; additi trini præterea ī singulorum trium mensium spatia dies, ueluti indicis quaternorum temporum, quæ aut accedens, sol aut recedens anno

ipso uoluendo distinguit & uariat, quasi fas, re-
Etumq; sit auspicari à Dei immortalis honore, &
nomine temporum cunctorum initia, Ut etiam ap-
pareat dierum ipsorum rationes omnes à maiorib.
ostris cùm inuentas sapienter, tum in primis san-
cte constitutas illudq; necesse est, si uolumus esse
hi qui debemus, idest si in Christiana humilitate
& modestia constituimus uiuere, leges maiorum no-
strorum à nob. diligenter esse retinendas, quas præ-
sertim optima ab illis mente, & salutari consilio
latas constet fuisse.

Hac sunt uir uobilissime, quæ in tanta breuitate
et temporis quantum tu ipse optime nosti, scribere
potuimus, quod si minus tibi satisfecimus uoluntas
certe reprehendenda non uidetur, certe ipsius cau-
sa bonitas nullo meo eget patrocinio, neque uero liti-
gando, neque arguendo, sed id quod Ecclesia facit
pariter agendo, cumq; illis qui Ecclesie Catholicæ
germani filii sunt una abstinendo, multò facilius
in uerum sensum iudiciumq; pertraheris, quod quo-
niam sine Christo facere non possumus, Ipse enim
Dei ueritas est, & Dei consilium, & in ipso gene-
ris humani cum Deo reconciliatio, & propterea ue-
ra nostra uita, salus, & immortalitas, idemq; uia
nostra, atque iter quo ad Deum perueniamus, eum

suppliciter precor ut mentem animumq; tuum ad
omnem sui ueritatem exciter : & sancti sui
Spiritus, abundante tibi gratiam
impertiatur, donorumq;
suorum semper
faciat par-
ticipem.

Nihil animaduerti in hac doctissima responsione,
quod uel fidei Catholicæ contrarium sit, uel bo-
nis moribus.

Fr. Maximianus Beniamus Inquisitor.

Fr. Aegidius Marchesinius dominica-
nus Sacrae Theologiae doctor.